





Disputationum Anatomicarum 1596; 15

TERTIA

DE PARTIBVS
HUMANI CORPORIS
SIMILARIBVS, SPERMA-
ticis & sanguineis:

25

*Ex sententiâ
Optimorum Philosophorum, Anatomicorum
& Medicorum,*

Ad quam
Diuina fauente clementiâ

Præfide
IOHANNE SIGFRIDO PHILOS. ET
Medicinæ Doctore & in illustri Iuliâ Pro-
fessore public. ordin.

*Respondebit publicè
die 19. Nouembr.*

M. ADAMVS LVCHTENIVS Huxariensis,
Medicinæ Studiosus.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.

48





AMPLISSIMIS ET
PRVDENTISSIMIS VIRIS
CONSVLIBVS ET SENATORIBVS
REIPVBLICAE HVXARIENSIS PATRO-
nis suis, & fautoribus summa obser-
uantia colendis

Dedicat

M. ADAMVS LVCHTENIVS.



THESES
De partibus humani corporis similaribus, sper-
maticis & sanguineis.

I.



Quoniam in proxima habita disputatione de partium similarium natura, earum numero, causis & differentijs, in genere dictum est; ordo requirit, ut nunc de singulis tractationem breuem instituamus.

2. *Primum igitur de spermaticis, deinde de sanguineis; tum de ijs quæ his annumerantur, & inter partes corporis referri solent, agemus.*

Gal. 1. sem. 11. constitut art. 6. 1. tuend. san.

3. *Spermaticarum autem partium alie sunt duriores, ut os, cartilago, ligamentum, tendo: alie molliores, reliquæ nimirum.*

Arist. 1. hist. 1. 2. part. 2. Gal. 1. Sem. 15.

I. DE OSSIBVS.

4. *Ossium natura prius cognoscenda est, cum quod corporis sint robur & fundamentum, tum quod ipsis corporis figura adsimiletur & aliarum partium natura respondeat.*

Hipp lib. de ofs. Gal. 1. adm. anat. 2. & 3. Fallop. lib. de ofs. 9. Columb. in proœmio. lib. 1.

5. *Est autem os pars a corporis similaris b, solida, dura, alba, c frigida & sicca d, sensusq; expers e, ex seminis portione terrestri pingui f, à facultate formatrice propria ossifica g, per calorem producta h, ut sit corporis & partium eius fulcrum, fundamentum & munimentum i.*

a Gal. 1. m. m. 6. b Arist. 1. hist. 1. Gal. 1. elem. 1. 8. plac. 7. diff. morb. 3. inæq. intemp. 2. c Arist. 2. par. 2. 1. hist. 1. Gal. 1. nat. fac. 7. d Arist. 2. par. 2. 2. temp. Gal. princ. lib. de ofs. Capiuat. fol. 199. e Gal. lib. de instrum. odorat. 3. f Hip. lib. de carn Gal. 1. sem. 11. const. ar. 6. Vesal lib. 1. c. 1. g Gal. 1. nat. fac. 6. h Arist. 2. gene. 4. 1. Gal. 16. V. p. 2. 1. ad. an. 2. proœm. lib. de off. 1. sem. 15. Fallop. lib. of. 2 & 8. Columb. lib. 1. c. 1. Capiuat. i 189. Laur. fol. 688. Hip. lib. de carn. & lib. de nat. puelli.

6. *Constat autem corpus non ex unico tantum osse; hoc enim pacto ineptum*

A 2

ineptum fuisset ad motum, & nihil aut parum à statua differret: Sed ex pluribus est compositum, ut flecti, extendi & in omnes partes facilius atque promptius moueri posset. Ea autem omnia ita contigua sunt & inter se committuntur, ut nullum seorsim per se consistat & habeatur, sed aut pars continui sit, aut aliud os attingat, alteriq; ita connectatur, ut natura sagax tanquam vno osse eorq; contiguo, pluribus ossibus ad varios usus hominem uti voluerit.

Arist. 3. hist. 7. 2. part. 9. Fern. lib. 1. phys. 2. Laur. fol. 692. Columb. lib. 1. c. 3.

7. De numero ossium varia sunt autorum opiniones alij enim plura, alij pauciora recensent; partim quod non omnia in sceleto habeantur & commonstrentur: partim quod in confectionibus non occurrant, presertim sesamina dicta, quæ, cum mollia sint, & pleraq; ob paruitatem non facile cognoscantur & inueniantur, cartilaginee putantur, quamuis in Cercopithecis & simijs, quæ magnam cum homine habent similitudinem, omnia appareant & enumerari queant.

Gal. 2. V. p. 22. 4. ad anat. 3. Piccol. lib. 8. in proœmio.

8. Galenus ossa in humano corpore plura ducentis adserit a. Vesalius 307. enumerat b. Fallopius duplicem ossium numerum constituit. Vnum angustiore, quo ossa integra enumerans comprehendit 230. alterum maiorem, in quo ossa in partes diuidens 256. colligit, exceptis sesaminis c. Piccolhominus 249. recenset d.

a Gal. lib. format. foetus. 20. 9 plac. 15. b lib. 1. cap. 39. c lib. off. 36. d lib. 8. lect. 12.

9. Ceterum quotquot sint ossa, illa consistunt in capite, in trunco & in artibus, unde alia ossa capitis, alia trunci, alia artuum dicuntur. Laur. fol. 701.

10. Quæ in capite sunt ossa hoc modo enumerantur & his nominibus insigniuntur: duo ossa verticis: vnum frontis: vnum occipitis: duo temporalia: vnum basilare: vnum ethmoides: sex auditus, tria in qualibet aure, malleus, incus, stapes, duo nasi: duodecim maxillarum superiorum: vnum maxilla inferioris: triginta duo dentes; undecim ossis hyoidus. Summa 72.

Vesal. lib. 1. cap. 39 Laur. f. 701.

11. In trunco habentur ossa pectoris, dorsi & coxarum. In pectore sunt,



sunt, dua clauicula: 3. ossis pectoris: 24. costae, vtrinq; duodecim, ex quibus septem superiores, verae, quinq; inferiores, spuriae vocantur. In dorso sunt, dua scapulae: & 34. vertebrae; nempe septem cervicis: 12. thoracis: 5. lumborum: 6. ossis sacri: 4. ossis coccygis. Sum. 71.

Vesal. lib. 1. cap. 39. Laur. f. 701.

12. Artus diuiduntur in manus & pedes. In manu magna nimirum, cuius partes sunt, humerus, cubitus & manus parua, inueniuntur ossa 84. In parte dextra 42. vnum humeri: duo cubiti: radius & ulna: 14. digitorum: 12. sesamina. Totidem in sinistra. In cruribus & pedibus similiter numerantur ossa 84. nempe in dextra parte 42. & totidem in sinistra. Vnum os femoris: 1. patella: 2. cruris, tibia & fibula. 38. pedis, nimirum, 1. tali: 1. calcanei: 1. nauiforme: 4. tarsi 5. pedij: 14. digitorum: 12. sesamina. In artibus igitur sunt ossa 168. quibus si addantur 72. capitis & 71. trunci, colliguntur ossa 311. excepto osse cordis.

Vesal. lib. 1. cap. 39 Piccolh. fol. 384.

13. Generantur & formantur quidem ossa in utero, sed non omnia in eo absoluuntur: nam quaedam postmodum a natura perficiuntur, vt ossa Bregmatos seu verticis, quae in infantibus non coeunt, antequam, vt Aristoteles a scribit, dentes acquisierint. Vel, vt Plinio b placet, ante primum sermonis exordium. Alia quae mollia & cartilaginea adhuc sunt vt ossa pectoris, carpi, pedij, successu temporis indurescunt & in ossa abeunt c.

a Arist. 1. hist. 7. 7. hist. 10. b lib. 11 c. 37. c Fallop lib. de ossib. Piccol lib. 8. lect. 1.

14. Nutriuntur autem & incrementum capiunt ossa duplici alimento remoto, sanguine sc. terrestri, crasso, qui ex venis in ossa influat a. Et proximo seu coniuncto, medulla nimirum, quae in ossium cavitatibus continetur b.

a Arist. 2. gen. an. 4. Gal. 6. nat. fac. 16. 6. m. m. 5. b Hip. lib. de alimento. Arist. 2. part. 6. 3. hist. 20. Gal. 3. nat. fac. 15. 11. V. p. 18. Vesal. lib. 1. c. 1. Piccol. lib. 8. lect. 1. cap. fol. 194. Fern. lib. 6. phys. 1. & 5.

15. Adfectiones seu proprietates ossium duplices sunt, aliae communes, aliae propriae.

Fallop lib. oss. 9. Piccol. lib. 8. lect. 3.

16. *Communes adfectiones, quæ in omnibus ossibus spectantur, sunt, 1. durities. 2. pinguedo splendescens. 3. candor cum quodam rubore sed minimo admixto. 4. conueniens meatus & cauerna, per quas alimentum transmittitur. 5. operculum cartilagineum circa ossium capita & extremitates. 6. periosteon, quo omnia ossa, exceptis dentibus, vestiuntur. 7. Integritas & continuitas apta. Quæ his vel contraria sunt, vel absuerint, vel immutata conspiciuntur, præter naturam censentur.*

Vesal. lib. 1. c. 1. Fallop. lib. off. 9. Pec. lib. 3. lect. 1.

17. *Sensus quoque expertia sunt, exceptis dentibus, non quod constent ex seminis parte terrea crassa, aut quod propter nimiam siccitatem vim sentiendi non admittant: sed quod desit instrumentum tactus, seu quod nulli nerui & membrane per ipsorum substantiam diffundantur: ne perpetuis cruciatibus ac doloribus in sustinenda corporis mole & creberrimis motionibus animal torqueatur. Verum enimvero ut noxia perciperent, & ne quid in ossa absque sensu penetraret, natura ea undique obduxit exterius membrana, quæ periosteon vocatur, cuius beneficio sensum excipiunt. Ea enim abrasa, ossa quouis modo tractantur, utuntur, secantur, sine sensu.*

Gal. lib. instr. odor. 3. Columb. lib. 1. c. 1. Fer. lib. 1. c. 2.

18. *Propria adfectiones, quæ in singulis ossibus obseruantur, sunt sinus seu cavitates, asperitas, leuitas, partes, continua unio & apta articulatio.*

Pic. lib. 8. lect. 3.

19. *Cavitas quæ articulationis gratia parata est duplex statuitur: alia profunda κενόλη vel κενόληδων dicta, qualis in ischio seu osse coxendicis cernitur, Latini acetabulum vocant: alia superficiaria γλυκύνη vocata.*

Vesal. 1. 1. c. 3. Laur. fol. 691. Col. lib. 1. c. 2.

20. *Partes ossium, quæ non substantia, sed nominibus tantum ab ossibus distinguuntur, due sunt, ἀπόφυσις & ἐπίφυσις.*

21. *Απόφυσις quæ ἐξοχή, καὶ ἐκφυσις Græcis dicitur, est pars ossis protuberans, hoc est cum os in aliqua parte prominet, quasi ramum iuxta trunci arboris ritum emissura. Latini eminentiam, prominentium,*

tiam, extuberantiam, productionem & processum vocant. Huius tres sunt differentiae, κεφαλή id est caput: αὐχὴ id est cervix, κορώνη, seu κορώνος id est corona.

Columb. lib. 1. cap. 2. Laur. fol. 691. Vesal. lib. 1. cap. 3. Pic. fol. 349.

22. κεφαλή seu caput est, cum os rotundo tubere prominet. Ideo factum, ut aliorum sinus articulationis gratia subeat. Estq; vel oblongum & amplum quale in osse femoris cernitur, vel depressum & paruum. Illud oblongum sinum in quem inseratur, postulat, hoc humilem & modicum requirit.

Vesal. lib. 1. cap. 3. Columb. lib. 1. cap. 2. Laur. fol. 690.

23. Cervix seu collum in osse vocatur, cum ex gracili & acuto principio sensim dilatatur, seu ea pars ossis est, quae in ipso processu tenuior existit, & ab osse usq; ad caput ubi amplior sit, producitur & pertinet. Talis in superiori femoris parte conspicitur, quae in coxendicem immittitur.

Laur. fol. 690. Columb. lib. 1. cap. 2. Vesal. lib. 1. c. 3.

24. κορώνος appellatur, cum in mucronem desinit & acutum sinem protuberat. Hic processus ob varias & diuersas figuras, quas exhibet, varius quoq; & multiplex est: alius styli acuti formam referens εὐλοειδής vocatur aut γαφροειδής: alius anchorae similis ἀγχοροειδής dicitur: alius rostri coruini figuram exhibet κορρακοειδής nominatur, alius mammaram similitudinem μασοειδής appellatur.

Vesal. lib. 1. c. 3. Laur. & Col. dictis lebis.

25. Apophyseων seu processuum usus triplex est: primum facti sunt ad commodam ossium articulationem & compositionem: deinde ad partium quarundam hoc est ligamentorum & muscutorum exortum & insertionem: deniq; ut quasdam partes propugnaculi instar tueantur ut in vertebrae & scapulis uernere licet.

Vesal. lib. 1. c. 3. Pic. fol. 390.

26. ἐπίφυσις nihil aliud est, quam os ossi adnatum, quod linea ossium capita circumscribens aperte indicat. Latinis appendix, additamentum, adnexus, applantatio dicitur.

Vesal. lib. 1. c. 3. Columb. lib. 1. cap. 2. Laur. d. loco Pic. fol. 350.

27. Epiphysis seu appendicis duplicem usum ponit Galenus. prior est



est, ut in medullofis ossibus vicem gerat operculi, ne medulla in ossium
cavitatibus contenta effluat. Alter, ut firmiter sit articulatio. Latiore
enim basi melius firmantur ossa. His recentiores alios addunt, nempe
ut inde ligamenta oriantur, quæ vel ossa connectant, vel musculorum
tendines robustiores efficiunt: tum ut ad ossium σμφωσι, quasi me-
dium quoddam sese interponant.

Laur f. 691. Columb. lib. 1. c. 2. Piccol. fol. 350.

28. Σύνθεσις siue σύνθεσις siue structura & compositio ossium duobus
fit modis: Aut enim ossa committuntur & connectuntur per ἀρθρωσι
id est articulum seu articulationem aut per σμφωσι, id est concretio-
nem seu unionem.

Vesal. 1. 1. cap. 4. Piccol. fol. 352. Columb. lib. 1. cap. 4.

29. ἀρθρωσι cuiusq; ossis extremitatem qualiscunq; illa sit denotat.
Vnde articulatio est naturalis ossium compositio in qua duorum ossium
extrema sese tangunt. Tota igitur articulationis natura in extremo-
rum contactu & contiguitate consistit.

Laur. f. 691. Hip. lib. de locis in hom. Fern. lib. 1. Phys. 2.

30. Hec à Galeno duplex statuitur ἀρρωσι & συνἀρρωσι. Illa
quæ laxa est, fit cum motu manifesto; hæc quæ stricta & compacta est
motum nullum habet, aut saltem obscurum & vix aspectabilem.

Hip. lib. de artic. Gal. com. ad defect. 2. lib. de artic. Vesal. lib. 1. c. 4.

31. Viriusq; tres sunt species σύνθεσις in qua longum vel rotun-
dum caput in cavitatem inseritur ut in articulatione femoris: ἀρθρω-
σι in qua caput est depressum, & sinus seu cavitatis levis, & superficiaria,
qualis est articulatio occipitis cum prima vertebra, & maxille inferio-
ris cum ossibus temporum: γινωσι ubi ossa se excipiunt & excipi-
untur, ut in cubito & brachio, femore ac tibia & vertebra.

Hip. l. 3. de art. Vesal. 1. 1. c. 4. Laur. 693. Piccol. fol. 352.

32. Σμφωσι est naturalis ossium unio, per quam ossa quæ duo e-
rant coniunguntur & continuantur ut unum fiant, unde Symphyseos
natura incontinuitate consistit.

Gal. lib. 1. de ossib. Vesal. lib. 1. c. 4. Piccol. fol. 353.

33. Symphyseos tres sunt differentie ἐσφωσι id est sutura in ossibus cra-
nij: harmonia quæ fit per lineam rectam, obliquam aut circularem ut in
ossibus

ossibus nasi & maxillarum. Gomphosis cum is ossi clavi modo infigitur
ut dentes.

Vesal lib. 1. c. 4. Piccol fol. 353.

34. Caterum omnis ossium compositio aut fit sine medio, aut per me-
dium. Sine medio coalescunt ossa, quae sunt mollia & fungosa. Sic epi-
physes quia molles & cartilagineae sunt, cum ossibus per Symphysin uni-
untur. Quae vero sicciora & duriora, sunt per medium, seu non nisi
corporis alicuius interuentu iunguntur.

Vesal lib. 1. c. 4. Piccol. 355.

35. Medium autem illud triplex est, caro, nervus seu ligamentum
& cartilago. Vnde tres symphyseos statuuntur differentiae; οσος ἀε-
νωσις, quae ossa per carnes h. e. musculos iunguntur & continuantur a, ut
ossa in hyide & scapulis: ουνέωσις vel ουνθέωσις, ubi per ligamentū
ut in omni diarthrosi, ossa copulantur: ουνχόνωσις, in qua ossa per
cartilagineas uniuntur, ut in costis, sterno, ossibus pubis.

a Hipp. lib. de off. nat. Gal. lib. off. 13. Arist. 2. part. 9. Vesal. I. 1. c. 4.

36. Fines seu utilitates ossium duplices sunt, aliae communes, aliae
particulares.

Piccol. 1. 8. lect. 2. Laur. hist. off. cap. 1.

37. Communes ex diuini Hippocratis sententia tres sunt. Nam
ossa, inquit, corpori stabilitatem, & rectitudinem, & speciem exhibent.

38. Galenus, qui Hippocratis sententiam amplexatur & fusius ex-
plicat, ossa scribit, facta esse, ut corporis sint fulcra & fundamenta ad
uniuersum corpus sustinendum & stabiliendū. Quod enim in tentorijs
prestant pali, & in aedificijs parietes, id nimirum in animalibus ossium
substantia. Tibiarum namq; & femorū ossa sunt instar columnarum in
aedibus, & spina dorsi, quam Aristoteles principium ossium appellauit,
instar carinae nauibus. Quapropter corpus erigitur & erectum serua-
tur, ne vermium serpentumq; more homo serpere cogatur; & partes spe-
ciem & formam accipiunt; quoniam ad ossium figurā & imitationem
caeterae partes effinguntur & etiam mutantur.

Gal. 1. ad anat. cap. 1. lib. 16. de vf. p. c. 2. In prooemio lib. de ossib. Vesal. lib. 1. cap. 1.
Pic. lib. 8. l. 2. Arist. 2. part. cap. 2. Gal. 1. ad an. c. 2.

39. Facta quoq; sunt ossa ob motum progressionis, flexionis & exten-
sionis

sionis. Nec non terminus & meta sunt incrementi atq; magnitudinis animalium. Nam dum nutriuntur & augentur ossa, vniuersum corpus & omnes eius partes simul increseunt.

Gal. 1. de usu p. 12. Arist lib. de spir. Arist 2. gen. an. 4. Picc fol. 337. Cap. fol. 217.

40. *Particulares utilitates ossium hæ ferè sunt. Partium sunt propugnacula & munimenta aduersus iniurias motu aut impulsu factas. Sua duritie partes molles & humidas suffulciunt & cohibent ne diffluant, concidant, aut alio modo ledantur. Sed singulorum ossium usus enumerare non est huius loci neq; nostri instituti.*

Gal. 16. v. p. 2. & 9. Arist. 2. part. 1. & 9. lib. de spir.

II. DE CARTILAGINIBVS.

41. *Cartilago χόνδρῳ proximè ad naturam ossium accedit, magnamq; cum illis habet cognationem ac post ossa durissima.*

Aristoteles 3. hist. anim 8. 2. part. 9. Gal. 7. v. p. 3.

42. *Est autem cartilago pars corporis similis, a osse mollior, reliquis autem partibus durior, b alba, leuis, flexilis, solida nullisq; cauer-nulis aut cavitatibus ossium modo prædita, c sensus expers, d ex semi-nis portione terrestri & viscosa, e à facultate formatrice cartilagini-fica per calorem procreata, f lenta sui duritie & lubricitate pluribus inseruiens.*

a Aristoteles 1. hist. 1. Gal. 7. v. p. 3. b Gal. 7. v. p. 3. c Aristoteles 3. hist 5 & 8. 2. part. 9. d Gal. 16. v. p. 2. lib. de fem. 10 e Aristot 3. hist. 8. 2. part 9 f Gal. 1. nat. fac 6. Ves. lib. 1. cap. 2. Columb. lib. 2. in proœmio. Pic. lib. 9. l. 1. Cap. fol. 226. Fernel lib. 1. c. 1.

43. *Affectiones vel proprietates naturales hæ ferè sunt, albedo, leuitas, flexibilitas, durities, soliditas & sensus priuatio.*

Arist. 1. hist. 1. Gal. 16 v. p. 2.

44. *Albe sunt, quia referunt naturã & formam sui principij, nempe seminis, quod ipsum album. Leues verò, ne pungant partes vicinas: flexiles, ob motum faciliorem & expeditiorem: dura & solida, ne facile ledantur: sensus expertes, quod nulli nerui in ipsarum substantiam penetrant, nec membrana obducuntur, nec cum neruis habent connexionem. Ideo autem sensu carent, ne perpetuo dolore excrucietur homo.*

Aristoc-



Aristote. 1. hist. 1. Gal. 12. v. p. 3. 16. v. p. 2. Columb. 1. 2. in proemio. Piccol lib 9 t. 1.

45. *Originem trahunt cartilagine non ex ossibus eorumq; partibus ut quidam volunt, sed ex semine, sicuti supra dictum est, gignuntur. Ex ossibus tamen oriri dicuntur ob firmissimum, quem cum illis habeant, connexum.*

46. *Nutriuntur ut ossa duplici materia, remota, sanguine scilicet crasso & viscoso, ac propinqua, nempe mucosa materia foris circumfusa, qua multa alteratione in substantiam cartilagineum conuertitur.*

Gal 1. nat. fac. 10. 3. nat. fac. 18. 6. meth. 5. Aristoteles 2. part. 9. Gal. 12. v. p. 3. 16. v. p. 2. 3. nat. fac. 15.

47. *Numerus cartilagineum certus vix dari potest, siquidem varia sunt, & in omnibus aetatibus eadem non reperiuntur; multa etiam temporis successu siccescunt, durefcunt, & in ossa degenerant. Ossium numerum longe excedunt. Nam singula ossa qua inter se coarticulantur, duabus inuestiuntur cartilaginibus. Vnde duplex est numerus cartilagineum ad numerum ossium & articularum, sic & in appendicum cum suis ossibus connexu plurima spectantur & ossium numerum superant: praeter quas sunt & aliae, qua quasdam partes constituunt & efformant.*

48. *Utilitates cartilagineum generales multae sunt. Nam ut ossa ad rectum & constantem motum sunt facta; sic cartilagine non leues & politae sunt, ad facilem & expeditum conducunt, ne articuli difficilius moueantur. Prohibent quoq; ne ossa mutuo attritu ledantur vel consumantur. Strepitum ex mutuo illo attritu meruendum, & auditui ingratum futurum impediunt. Quin & ossa, dum iis incumbimus, ne frangantur, tuentur, extremisq; iniurijs facile cedunt.*

Gal. 12. v. p. 15. 16. v. p. 2. Arist. 2. part. 2. Fern. lib. 1. phys. 1. Cap. fol. 231.

49. *Speciales utilitates plures sunt. Partes quasdam efformant, stabiliunt, & distendant, ut in aspera arteria, naso, auribus, palpebris: alias illesas seruant ut ensiformis, qua diaphragma, & superius, ut Galeno placet orificium ventriculi tuetur. Sunt aliae qua faciunt ad ossium compositionem; qualis est in maxilla inferiori, osse pectoris, vertebris osse pubis. Sed singularum cartilagineum usus recensere, non est huius loci.*

Gal. 7. v. p. 4. Fern. lib. 1. phys. 1. Piccol. fol. 390.

B 2

III. DE

III. DE LIGAMENTIS.

50. *Ligamentum post ossa & cartilagine pars terrestris & dura, σόνδεσσι. Græcè appellatur. Quidam νεύρον, id est neruum, alij νεύρον σινθελίον nominant, ex Hippocrate, qui neruos articulorum vincula dicit.*

Hip. lib. de loc. in homine Arist. 3. hist. 5. Gal. 1. plac. 9. 6. m. m. 4. Art. p. 9. Vesal. lib. 2. c. 1.

51. *Est autem ligamentum pars corporis similis a, exanguis b, alba c, solida d, ossibus & cartilaginibus mollior, reliquis verò partibus durior e, sensus expers f, ex seminis portione lenta ac tenaci g, à vi propria ligamentifica genita h, gratia connexionis & custodiæ coniunctionis partium.*

a Gal. 1. Elem. 8. 1. diff. morb. 3. lib. inæq. intem. 2. b Fer. lib. 1. phys. c. 4. Gal. 1. plac. 9. c Vesal. lib. 2. c. 1. Gal. 1. v. p. 13. d Gal. 12. v. p. 2. e Gal. 12. v. p. 2. 1 v. p. 17. f Gal. 1. plac. 9. 3. alim. fac. 4. 1. v. p. 13. g Gal. 1. sem. 10. h Gal. 1. nat. fac. 6. i 1. plac. 9. 1. ad an. 10. Vesal. lib. 2. cap. 1. Fer. lib. 1. phys. 2. Col. lib. 3. in præm. Cap. f. 232.

52. *Adfectiones naturales, ut definitio docet, sunt albedo, soliditas, durities, continuatio sibi accommodata, sensus priuatio. Quarum omnium ratio ex superioribus patet.*

Gal. 16. v. p. 2. 1. plac. 9. 3. fac. nat. 4. 6. Meth. 4. Col. lib. 3. in præm. Picc. l. 10. lec. 1.

53. *Ligamenta etsi Galeni & Anatomicorum sententia vel ex ossibus, vel cartilaginibus vel membranis oriri, & illis inseri dicuntur, quod firmissimè illis adnascantur, certum tamen est, ipsa ex semine in utero cum reliquis partibus conformari & articulis addi ac circumtendi.*

Gal. 1. ad an. 10. 12. v. p. 3. 1. mot. muse. 1. 6. m. m. 4. 1. sem. 10. 11.

54. *Nutrimetum capere ligamenta Columbus adserit ex medulla tenui, & idcirco inter ossa & appendices ostium collocata esse. At teste Galeno nutriuntur humore lento, qui ipsis aspersus visitur, quem ex sanguine venarum affluentem sensim in suam naturam, vertunt sibiq. assimilant. Vesalius affirmat, ea, ut & cartilagine in articulis, lento hoc humore obliniri, ne ocys exciccantur, præsertim cum sua natura sint frigida & sicca.*

Columbus lib. 3. in præmio. Gal. 3. nat. fac. cap. 15. Vesal. lib. 2. c. 1.

55. Fi-

55. *Finis seu usus ligamentorum precipuus & communis est, corporis partes seiunctas colligare, & coniunctas custodire.*

Gal. 1. plac. 9. 1. ad an. 10. 16. v. p. 2. 1. mot. mus. 1. Ves. lib. 2. c. 2.

56. *Facta quoque sunt ad motum ossium securiorem, ut ossa tuto & citra omne dislocationis periculum mouerentur. Muniunt etiam & connectunt subditas partes, praesertim tendines, ne à suis locis exiliant ut in carpo, digitis, pedibus videre licet. Quin & acetabula & cavitates augent atque implent quale est ligamentum cartilagineum in osse coxendicis.*

Pic. fol. 395. Gal. 1. ad an. 10. 12. v. p. 2. a Cp. fol. 242. Ves. lib. 2. c. 1. Fer. 1. 1. ph. c. 2.

IV. DE TENDINIBVS

57. *Tendo τένων vel τένος à tendendo dictus quod eius actio precipua in tensione deprehendatur, alijs chorda vocatur à similitudine, quam nerui quidam cum chordis in instrumentis Musicis obtinent. Nonnulli neruos ob substantiam, seu quia nervosa sunt corpora appellat. Recentiores ex sententia Galeni τένονες vocant id est deneruationes musculorum qui in tendines desinunt.*

Hip. lib. de loc. Gal. 2. loc. aff. 7. 3. alim. f. 4. In prooemio. lib. de off. 1. v. p. 16. Ves. lib. 2. c. 2. Cap. iiii. fol. 246.

58. *Est autem tendo pars corporis similis a, alba, solida b, ligamento mollior, neruo durior c, exanguis d, sensus particeps e, genita ex seminis parte humida viscosa f, à facultate tendinifica g, causa motus tum ossium, tum aliarum partium in quas inseritur h.*

a Gal. 1. in aeq. intemp. 2. b Ves. lib. 2. c. 2. c Gal. 2. temp. 2. 1. plac. 9. Ves. 1. 2. c. 2. Fern. 1. 1. phys. cap. 5. Piccol. f. 45. d Gal. 1. plac. 9. 3. sympt. caus. 3. e Gal. 1. mot. musc. 1. 13. v. p. 3. f Gal. 1. fem. 10. g Gal. 1. nat. fac. 6. h Gal. 1. musc. 3. Cap. iiii. fol. 246. Col. lib. 5. c. 1.

59. *Affectiones naturales sunt, albedo, soliditas, mediocris durities & mollities, validitas, & sensibilitas. Quarum ratio ex superioribus desumi potest.*

Gal. 13. v. p. 3. Fern. lib. 1. phys. 5.

60. *Numerus tendinum ut & musculorum, quorum extremitates sunt, unus idemque non est. Ut enim unus musculus plura interdum*

B 3

obtinet

obtinere capita; ita & plures emittit tendines: quemadmodum in musculis digitos manuum & pedum mouentibus videre licet.

Fer. lib. 1. phys. 5.

61. Oriuntur tendines ex sententia Galeni & aliorum Medicorum ex fibris ligamenti & nerui, quae in musculi caput inseruntur: per eius corpus disseminantur & in fine rursus coeunt, atque ita rursus commixtae constituunt & efformant tendinem, qui mediam inter ligamentum & neruum obtinet naturam. Verum rectius sentiunt, qui ex semine tendinem genitum adfirmant, siquidem pars nulla diuersae speciei ex altera tanquam materia producitur: nec tendo in ligamenta & neruos resolui aut distingui potest.

Gal. 12. v. p. 3. Vel. 1. 2. cap. 2. Gal. 1. v. p. 17. 2. v. p. 7. 1. mus. 1. 6. m. m. 4.

62. Nutriuntur ut reliquae partes sanguine & humore lento ipsis adhaerente, quem in suam naturam conuertunt, sibique assimilant.

Gal. 1. 1. mot. mus. 1.

63. Fines hi sunt: ut ligamenta ad tutum & commodum motum facta sunt; sic tendines ad validiores motus & grauiores artus agitando comparati sunt. Partes, in quas inseruntur, flectunt, extendunt, dilatant, coarctant. Exhibent usum ligamenti & nerui. Ligamenti quidem vicem praestant, dum per duram substantiam alligant musculos ossibus in quae inseruntur, ob quam rationem validi & robusti facti sunt. Nerui vero usum exhibent quatenus ob mollem substantiam & nerueam sensus sunt participes.

Gal. 1. musc. 3. Fer. lib. 1. phys. cap. 5. Gal. 3. v. p. 3. 2. San. tuend. 11. 1. mus. 1.

64. Haecenus de partibus humani corporis durioribus, quarum ope id ipsum erigitur promptè ac expeditè, tuto ac validè mouetur & consistit dictum est. Sequuntur nunc partes molliores quae vel sunt tegumenta & munimenta ut cutis & membranae, vel vasa, ut venae; arteriae, nerui.

V. DE CVTE

65. Cutis de graecis dicitur quod à subiectis partibus facilè, nisi ubi cum tendinibus & musculis adeoque membrana carnosae connascitur, separari & excoriari possit.

Gal. 3. alim. fac. 33.

66. Ea

66. *Ea duplex est, exterior siue superior, & interior siue inferior. Illa ἐπιδερμὶς Græcis vocatur, Latinis cuticula: hæc δέρμα, δέρη, cutis, corium. Herodorus ἀνθρώπων & ἀνθρῶπωνν appellat. Alij efflorescentiam cutis nominant.*

Hip. l. de nat. puer. & lib. de arte. Gal. 3. m. 4.

67. *Cuticula hominibus cum reliquis animalibus communis est, & tenuissimis cepearum tunicis similima, insensilis & exanguis. A vera cute auellitur vi ignis, affusione olei vel aque feruentis, applicatione acrim & calidorum medicamentorum: in pruritu seu intertrigine: in scabie & lepra: pustulis, morbillis variolis, ulceribus.*

Ves. lib. 2. c. 5. Columb. l. 13. c. 1. Ves. l. 2. c. 5. Lab. 2. fol. 52. Fer. l. 1. phys. 13.

68. *Vsus eius præcipui hi sunt: Vniuersi corporis est tegumentum, munimentum & ornamentum, veram cutem tuctur, vasorumq; eius nempe venarum & arteriarum oscula occludit, ne sanguis effundatur. Aristoteli est medium tactus & cutis exquisitum sensum contemperat.*

Fern. lib. 1. phys. c. 13. anim. Laur. fol. 52. Aristoteles 2. anim. 11.

69. *Cutis vera est pars a corporis similaris b, alba, crassa c, sed rara & porosa d, sensilis e genita ex semine & sanguine permixtis f, vi propria curifica g, gratia custodia omnium partium.*

a Gal. art. par. 9. b inæq. int. 2. c 6. epid. 2. 3. d 3. loc. affect. 7. 1. san. tuen. 12. e Gal. 9. v. p. 15. f 1. temp. vlt. g 1. nat. fac. 6. Vesal. lib. 2. c. 5. Capiu fol. 410. Fern. lib. 1. phys. 13. Laur. 53.

70. *Adfectiones eius naturales sunt, candor cum quadam rubedine, crassities, continuitas, raritas, sensus.*

71. *Candida est, ac rubore aliquo perfusa, quia gignitur ex semine & sanguine inuicem commixtis, ut supra dictum est. Sanguis quoq; ad eam per venas subinde profluit, à quo rubro colore tingitur præsertim in facie.*

Aristoteles 3. hist. 11. Gal. 1. temp. vlt. Laur. fol. 53.

72. *Crassa verò est, ut sit commodum totius corporis tegumentum, & contra externas iniurias aptum munimentum. At facta comparatione ad cutem aliorum animalium tenuissima existit.*

Arist. 2. hist. 11. Col. lib. 13. c. 1.

73. *Ceterum eisi est continua, ut perpetuo contextu vniuersum corpus*



corpus ambiat, rara tamen & porosa, seu multis foraminibus, quamuis insensibilibus, pertusa est, cum ob insensilem, quam vocant, respirationem, & nativum caloris refrigerationem, tum propter excrementorum fuliginosorum expulsionem: nec non pilorum, qui ex illis gignuntur, eruptionem. Præter hos poros seu meatus pluribus alijs foraminibus manifestioribus quibusdam in locis est peruia, quæ vel introitum materiae alicui in corpus recipienda; vel egressum è corpore materiae eijciendæ præbent, ut in oculis, auribus, naribus, ore, genitalibus, podice, umbilico, unguibus.

Gal. 2. loc. aff. 7. 1. San. 12. Arist. 3. hist. 11. Fer. lib. 1. Phys. c. 13. Col. lib. 13. c. 1.

74. Sensilis denique est, vel quia tenues propagines nervorum, per quos sentiendi facultas accedit, ex subiectis partibus in eam inseruntur: vel etiam, quia nervea constat substantia. Nam veluti sanguine præditus est nervus, seu mediam quandam inter nervum & carnem siue sanguinem obtinet naturam, tum secundum temperiem, quæ moderata est, tum secundum duritiem & mollitiem, ita ut nervus ad duritiem, caro ad mollitiem constituendam concurrat.

Gal. 9. v. p. 15. 16. v. p. 2. 1. temp. ult. Ves. lib. 2. c. 5. Col. lib. 13. c. 1. Arist. 3. hist. 11. Cap. fol. 412. Laur. 53. Ves. lib. 2. cap. 5.

75. Nutritur sanguine per venas ad ipsam delato, per arterias vim & spiritum vitalem recipit.

76. Usus cutis multiplex est. Etenim uniuersi corporis non tantum est tegumentum, & aduersus externas iniurias frigoris, & caloris aut ventorum munimentum; sed etiam ornamentum: Deforme enim fuisset, si partes subiectæ nudæ & quasi laceratæ conspicerentur.

Hip. 1. de carne. Gal. 3. ad an. 1. 4. m. m. 2. 8. v. p. 1. 1. Sem. 10. 3. san. tu. 3. Fern. lib. 1. phys. 13. Laur. 54. f.

77. Quin & tactus est instrumentum. Nam cutis prima rei tangibili occurrit & prima inter rem tangibilem & tactum consistit. Quæ etiam ratione lex atque regula habetur temperamentorum. Ad eam enim cum temperata sit, omnes omnium qualitatum excessus ex aminamus & deprehendimus: si modo præsertim quæ in vola manus est, ab his quæ extrinsecus occurrunt, ut à calore, aut frigore, non sit immutata, neque, ut in fossoribus, callo obducta.

Arist.

Arist. 3. hist. 13. Gal. 1. caus. morb. c. 2. 1. temp. 17. Fer. lib. 3. phys. c. 5. Picco. lib. 2. c. 5.
Laur fol. 54. Gal. 1. temp. 19.

78. Deniq; ne in immensum corpus exporrigatur partium omnium terminus est & extremum, earumq; ob debilitatem excrementa superuacua recipit. Vnde & à quibusdam emunctorium corporis vniuersale appellatur.

VI. DE MEMBRANIS.

79. Membrana est pars corporis similis a, tenuis b, leuis c, lata, plana d, valida e, exanguis f, sensilis g, genita ex seminis portione viscida & aquosa h, vi propria membranifica i, vi partes contineat, inuoluat & custodiat k.

a Arist. 3. hist. 2. Gal. 2. ele. 1. 8. plac. 4. Inæq. temp. 2. diff. morb. 3. 1. m. m. 6. Vef. lib. 3. c. 1. b Gal. 6. ad an. 5. 7. ad. an. 2. 5. v. p. 11. c Arist. 2. part. 1. d Gal. 2. loc. aff. 7. e Anst. 2. par. 1. Gal. 2. Aph. 33. f Gal. 2. loc. aff. 4. g Gal. 6. loc. aff. 2. 6. Aph. 1. h Hip. lib. de carne. Gal. 2. temp. 2. 1. sem. 11. i Gal. 1. nat. facul. 6. k Gal. 6. ad an. 7. 7. adm. an. 2. Pic. lib. 6. lect. 6.

80. Differt membrana siue panniculus à tunica, hæc τῶν καὶ σκεμασμάτων, illa ὑπὸ Grecis dicitur. Tunica de ijs intelligitur corporibus, quæ substantiam cum vasorum, nempe neruorum, arteriarum & venarum, tum instrumentorum quorundam, ut ventriculi, uteri Vesicæ etc. constituunt & complent. Panniculus verò partes iam formatas continet, distinguit, connectit. Sed hæc vocabulorum distinctio ab autoribus non perpetuò obseruatur. Latini tunicam sepe inuolucrum, aliquando tegumentum appellant.

Gal. 6. adm. anat. 11. 7. ad. an. 2. 4. v. p. 9. Fer. lib. 1. phys. c. 13.

81. De principio seu exortu membranarum diuersæ sunt autorum opiniones. Fernelius lib. 1. Phys. 13. contendit membranas oriri ex partium, quas inuoluunt, substantia atq; mole, è qua pingue crassumq; excrementum circa illam emergens, ac pedetentim siccescens in membranam, dum fœtus conformatur, coit. Piccolhominus vult omnes in corpore membranas ex duabus cerebri meningibus, nempe dura & pia matre produci. Hippocrates & Galenus, qui rectius sentiunt, affirmant, eas ex semine in primo ortu cum reliquis partibus gigni & conformari, vi caloris, dissipato aqueo, ac terreo remanente.

Picol. lib. 6. lect. 6. Hip. lib. de car. Gal. 1. sem. 11. 2. temp. 2.

C

82. Nu-

82. Nutriuntur, ut reliqua partes, sanguine tanquam materia remota & succo seu humore lento ipsis asperso & inherente, quem ex sanguine attractum & relictum in suam naturam conuertunt, sibiq; assimilant.

Gal. 3. nat. f. 15.

83. Numerus membranarum certus & exactus dari difficile potest. Nam non tantum sunt membra, quae corpus uniuersum tegunt & inuestiunt; sed & alia sunt partium propriae. Nam nulla pars est in corpore, quam non membrana aut unica, aut duplex aut plures comprehendat, inuoluat, fulciat.

84. Consistunt autem vel in ambitu corporis, & certis nominibus praeditae sunt, ut cuticula, cutis, membrana carnosae; vel in interioribus collocatae conspiciuntur: ut in capite pericranium, dura mater, pia mater; in thorace pleura, mediastinus, pericardium. In ventre infimo peritoneum, tunica testium, hymen in sinu virginum, & quae in utero foetum inuoluunt, secundina, allantois & amnios. Reliquis membranis quae corpora musculorum, nasum, linguam, fauces, cor, pulmones, epar, renes, lienem, ambiunt, certa nomina non sunt attributa, sed ab ipsis partibus quibus adherent, denominationem sortiuntur.

Gal. 3. m. m. 5. 7. ad an. 2.

85. Usus hi ferè sunt: sua duritie & densitate custodiunt partes subiectas, suis locis conseruant, partibus vicinis tunicas communicant, illis robur addunt & cum alijs copulant: externas iniurias arcent & natium calorem, ne citò dissipetur, compescunt ac conseruant.

Arist. 3. part. 11. Piccol. lib. 6. l. 6.

86. Sed & alias partes vinciunt, alias separant, & disterminant. Ora quoq; vasorum aperiunt, & influxum materiae concedunt; eadem rursus occludunt, ne effluere aut regurgitare queat, cuiusmodi sunt in orificiis vasorum ventriculorum cordis, in intestino duodeno, colo, vesica urinaria & venis maioribus.

Gal. 7. ad an. 2. Gal. 6. v. p. 14.

87. Praeterea membranarum beneficio partes, quibus obductae adherent, sensum participant. Nam ipsae sensu praeditae, quod per ipsas nervus in

uus in fibras telis araneorum subtiliores diuisus dispergatur & distri-
buatur. Quod autem sentiant, dolor in ijs excitatus satis demonstrat.
Inflammata enim iecoris tunica dolor fit acutus teste Hipp. & Galeno.
Demum praeter alia membra ossa praecipue à corruptione vindicant.
Nam ossa suis dispoliata membranis siderantur.

Arist. 3. hist. 13.

VIII. DE VENIS.

88. Sequuntur vasa, nempe vena, arteria, & nerui, quae prima,
maximeq; communia in animalibus instrumenta Galeno dicuntur,
quod per ea omnia corporis membra gubernentur. Nam vena alimen-
tum, arteria vitam, nerui sensum & motum ad partes deferunt.

Gal. 1. fem. 6. 2. v. p. 19. 4. v. p. 12.

89. Veteres Philosophi & Medici vene nomine intellexerunt & ar-
teriam & venam proprie sic dictam. Hippocrates. lib. de carne duas scri-
bit esse venas cauas & magnas, quarum altera dicatur arteria, altera
caua & magna. Sic Aristoteles duas venas principales recensens, al-
teram maiorem, alteram minorem constituit, illam venam, hanc aor-
tam appellat.

Hipp. 2. morb. pop. Gal. 6. plac. 9. Arist. 7. hist. 4. & 16. 7. hist. 4. 3. hist. 3. c.

90. Vena Graece $\Phi\lambda\epsilon\psi$ & $\Phi\lambda\epsilon\beta\eta$ dicitur $\delta\pi\omicron\tau\omicron\tau\epsilon\varsigma$ $\Phi\lambda\epsilon\upsilon\epsilon\iota\nu$ quod est
abundare vel fecundum esse, q. d. venam, copiosi sanguinis fontem vel
scaturiginem esse. Hippocrates aliquando $\nu\epsilon\upsilon\sigma\omicron\nu$ $\epsilon\nu\omicron\mu\omicron\nu$ vocat. Galenus
venas non pulsatiles. Auicennas venas quietas appellat.

Gal. 2. comp. med. sec. loc. 1. Auicen. lib. 1. sen. 1. doct. 5. sum. 4. c. 1.

91. Est autem vena a, pars corporis similis b, alba c, caua, rotun-
da, longa instar fistulae d, exanguis e, sensus expers f genita ex semine
glutinoso frigido g, à facultate propria venifica h, ad sanguinis distri-
butionem i & confectionem k.

a Gal. 2. san. tuen. 11. b Arist. 3. hist. 2. 2. part. 2. Gal. diff. morb. 3. c 2. temp. 3.
d Gal. 16. v. p. 2. lib. diff. ven. 2. c Gal. 2. nat. fac. 3. f 16. v. p. 2. 12. lib. plen. 4. Arist.
3. hist. 5. g Hip lib de carne. h Gal. 1. nat. fac. 6. i Gal. 1. v. p. 16. lib. diff.
morb. 7. j Gal. 1. v. p. 16. 4. v. p. 17. 2. nat. fac. 9. Ves. lib. 3. c. 1. Fern. lib. 6. phys. c.
6. Col. 1. 6. c. 3.

92. Affectioes venarum sunt, ut sint alba, quia semen, ex quo for-
matur, album est, 2. laues, ne partes vicinas pungant. 3. cauae & ro-
tunda,

C 2

tunda,

tunde, ut sanguinem copiosum contineant. 4. longa, ut in partes longè remotas deferantur. 5. exanguis & frigide, quod ex semine ginantur. 6. sensu carent, quamuis, non omnes.

93. Substantia venarum fibrosa & membranosa est, ut dilatari & rursus in se concidere queat. Tunica autem venarum quibusdam in locis simplex est ac tenuis: in alijs verò duplex, seu alia exteriori membrana obducta.

Gal. 10. Meth. ult. Gal. 1. sem. 11. 6. v. p. 11. 7. ad. an. 5. Ves. lib. 3. ca. 1.

94. Simpliciter ac tenuissima & rara donantur tunica, quae in viscera & alias partes inseruntur venae, cum ut sanguis crassior promptè è venis exudare possit; tum ut visceris vim subito percipiat & experiatur, tum ut sanguis excrementa citius deponere & amandare queat. Reliquae verò venae, quae extra viscera longo tramite ducuntur, & alijs aut colligari, aut fulciri aut contegi desiderant, aut durioribus corporibus incumbunt, aut suspenduntur, membrana externa inuestiuntur & obducuntur, cum tutioris ductus tum ad vicinas partes firmiter nexu gratia.

Gal. 7. ad. an. 5. 6. v. p. 3. 16. v. p. 13. Gal. 9. v. p. 5. Ves. lib. 3. c. 1.

95. Quae duplici constant tunica & externam assumunt, sensiles sunt, quae verò simplices sunt ac tenues & membrana non circumdantur, sensu destituuntur. Nam sua natura venae sensus expertes sunt. Siue enim incidantur, ut in varice fieri solet, siue urantur, siue laqueo interceptantur, siue valida remedia imponantur, nequaquam sentiunt. Quod si quandoq; sentitur dolor, cum venae nimia repletione dilatantur, ille excitatur, vel ob compressionem vicinarum & contiguarum partium, vel ob vicinitatem alicuius nervi. Saepe enim nervi & venae una membrana conteguntur.

Gal. 16. v. p. 2. lib. plen. 4. Arist. 3. hist. 5. Gal. 16. v. p. 12.

96. Numerus venarum in corpore etsi magnus est, tres tamen sunt insigniores, nempe vena umbilicalis, vena portae, & vena caua, ex quibus reliquae emergunt, & ad quas tanquam ad principia & originem reuocari possunt.

Ves. lib. 3. c. 3. Laur. f. 139.

97. Vena umbilicalis, quae ex communi Anatomicorum sententia
ex venis



ex venis seminalibus uteri fundum perentibus constituitur & produci-
tur, ab umbilico fœtus sub peritonæo sursum progreditur, & in cavam
epatis partem iuxta vene portæ truncum inseritur. Per hanc infans in
utero nutritur. In lucem editis ligamenti vicem præstat, ne perito-
næum cum abdomine sua sede moveatur, prohibens.

Ves. l. 3. c. 11. Fern. l. 7. phys. c. 11. Laur. 139.

98. Vena porta, Hippoc. πύλου, Galeno σελεχασία, in cavo Epatis
conspicua, à quo obliquè in sinistram deorsum progrediens, mox in quinque
ramos, post exortum cysticarum venarum, insignes diuiditur. Primus
& secundus in ventriculum, unde & gastrici appellantur, inseruntur:
ille superius ipsius orificium coronæ in modum amplexatur: hic inferi-
orem ventriculi partem petit. Tertius in omentum mittitur, unde &
omentalis vocatur. Quartus splenicus vocatus, ad lienem tendit, in
quem, antequam inseratur, venam emittit, quæ in sinistram & poste-
riorem ventriculi partem paulò supra fundum implantatur. Quintus
mesentericus dictus in mesenterium & intestina tres alios diffundit
ramos. Primus mesentericus dexter mesaraicas constituit venas, quæ
in intestina inseruntur, alter mesentericus sinister in sinistram mesen-
terij partem fertur & ad colon deducitur: tertius hæmorrhoidalis, qui
ad rectum intestinum abit, & hæmorrhoides internas, cacochymia
vacuatrices, constituit.

Gal. 6. ad. an. 11. Ves. l. 3. c. 5. Fern. l. 1. phys. 11. Col. fol. 301. Pic. l. 2. l. 13 Gal. l. diff. Ven. c. 1.

99. Vena cava κοιλὴ καὶ μεσολὴ Hippoc. ἠπαλικὴ id est iecoraria, è
gibba & superna Epatis parte emergens, in duos diuiditur truncos, a-
scendentem, qui in partes supra diaphragma collocatas diffunditur; &
descendentem, qui in partes sub diaphragmate dispergitur. Vterque
multiplices emittit venas, quæ vel à situ & ductu, vel partibus vel usu
diuersa sortiuntur nomina.

Hipp. 2. Epid. sect. 4. Gal. l. diff. ven. c. 2 Fern. l. 1. phys. 11. Ves. l. 3. c. 1. Fern. l. 1. phys. c. 11

100. Truncus ascendens & diaphragma penetrans, ad iugulum usq[ue]
extollitur, quo antequam perueniat, quatuor producit venas, nempe
phrenicam, coronalem cordis, azygon, & intercostalem. In iugulo inter
clauiculas ante diuisionem in magnos ramos, & priusquam è cauitate



thoracis excidat, ex ea quinque producuntur vena, nempe mammaria,
 Thymica, ceruicalis, muscula, scapularis. E. cavitare prodiens in duos
 insignes finditur ramos, dextrum & sinistrum, qui cum ad axillas fe-
 runtur, axillares vocantur. In utroque latere in duos alios dirimitur,
 superiorem & inferiorem. Superior duas constituit in collo venas & ca-
 ylidar, id est iugulares vocatas, externam & internam. Vtraque surcu-
 los fundit in capitis partes omnes exteriores & interiores. Ab inferio-
 ri ramo axillari, qui ad brachium tendit, tres oriuntur vena, Thora-
 cica, Cephalica seu humeraria in externa humeri parte, & basilica seu
 Epatica in interna parte. Harum duarum venarum rami circa flexu-
 ram coniuncti, venam communem constituunt, quam medianam seu me-
 dianam vocant. A cephalica ramus descendit ad manum, qui inter
 paruum digitum & annularem venam constituit, quam Arabes Salua-
 tellam, Chirurghi Splenicam seu lienarem appellant, quod in lienis mor-
 bis, melancholicis affectibus & quartanis febribus feliciter tunatur,
 A mediana ramulus inter pollicem & indicem deductus, venam aliam
 producit, quam vulgus & Chirurghi Cephalicam & oculariam nomi-
 nant.

Gal. lib. diff. ven. 6. Ves. l. 3. c. 6. Fdr. l. 1. phys. 11. Col. l. 1. c. 6. Laur. f. 420. Pic. f. 121. 420
 Gal. l. dif. ven. 3. 4. c. Laur. f. 668.

IOI. Truncus descendens, antequam ad os sacrum exporrigatur,
 quinque venas insignes spargit. 1. Adiposam, quae in renum tunicam, ex-
 teriorem implantatur. 2. Renalem seu emulgentem, quae duplex est, dex-
 tra & sinistra. 3. Spermaticam seu seminalem duplicem, unam in
 dextro latere ex vena cauae trunco, alteram in sinistra parte ex vena e-
 mulgente enatam. 4. Lumbarem, quae succum utilem defert ad spina-
 lem medullam & lumborum vertebrae. 5. Musculosam, quae in lumbo-
 rum & abdominis musculos profert ramos. Ad initium ossis sacri in
 duos insignes ramos dextrum & sinistrum, qui Iliaci vocantur, dividi-
 tur. Ab utroque ramo quatuor vena scaturiunt. 1. sacra quae per fora-
 mina ossis sacri ad spinalem medullam fertur. 2. hypogastrica quae ri-
 uos ducit ad uterum, ad vesicam, ad rectum intestinum, ubi hemor-
 rhoides externas, plethorae deplettrices, producit. 3. Epigastrica, quae in
 muscu-

musculos abdominis excurrit, & maiorem ramum, sub musculis rectis sursum ad umbilicum usq; mittit, ubi mammarijs occurrit. 4. Pudenda, quæ ad illas partes tam in viris quàm mulieribus diffunditur. Vbi verò hi rami è peritoneo elabuntur, & ad crura descendunt, crurales appellantur. Vring; sex ex illis egrediuntur venæ. 1. Saphena seu malleolaris, quæ per internam cruris partem ad malleolum descendit, & in pedis superiora diuiditur. 2. Ischias minor, extrorsum ad coxendicis cutem, & eius loci musculos deseruit. 3. Muscula, quæ duos ramos in femoris ramos diffundit. 4. Popletica parte superiore per poplitem fertur, & ad pedem usq; interdum descendit, aliquando in suræ cute absumitur. 5. Ischias maior, per suræ musculos detata in decem surculos distribuitur, cum singulis digitis binos largiatur.

Gal. lib. dis. ven. 8. Laur. f. 183. & 679. Fer. l. 1. phys. 11.

102. Porro etsi primum & verum principium venarum est semen, ex quo cum reliquis partibus in utero gignuntur, tamen alia ipsis, & quidem diuersa, principia assignantur, ex quibus ob firmum connexum, quem cum partibus, in quas inseruntur, vel, ut Gal. loquitur, insiguntur, obtinent, oriri & produci dicuntur.

Hip. lib. de carnibus Gal. 2. fac. nat. 6. Laur. f. 1. 6. Gal. 6. v. p. 18.

103. Sunt autem iuxta numerum trium partium principalium, tres autorum opiniones de principio seu exortu venarum. Prima est Polybij & Pelopis, Secunda Aristotelis & Peripateticorum. Tertia Galeni & Medicorum.

Gal. 14. v. p. 1. form. fœt. 6. 7. plac. 4.

104. Polybius docuit caput esse principium neruorum, in eoq; venas oriri vel à syncipite, vel occipite, vel in oculis, vel circa tempora vel circa aures. Pelops præceptor Galeni statuit principium venarum esse cerebrum, quod ut in corde, ita & in cerebro sunt cavitates, in quibus venæ conspiciantur, & quod cerebro dissecto sanguis per eius substantiam è venis disfluens dispergitur.

Arist. 3. hist. 1. Gal. 6. plac. 2.

105. Verum vtriusq; sententia absurda est, ut Galenus loquitur, & falsa, teste Aristotele, qui errorem esse scribit, Venas à capite aut cerebro deducere. Namplura statuunt in loco frigido principia. De
inde



inde experientia docet, alium esse usum ventriculorum in cerebro; alium eorum qui sunt in corde. Denique qui dissecto cerebro conspiciuntur sanguis, non ex cerebro, sed ex venis per membranarum cerebri substantiam dispersis & apertis profluit, cerebrique substantiam cruore contaminat.

Arist. 3. hist. 2. 3. part. 4.

106. Inter Aristotelem & Galenum eorumque asseclas, acres sunt de exortu venarum disputationes. Aristoteles peripareticorum princeps, pluribus in locis docet, cor esse caput & originem venarum, ex quo omnes venas produci affirmat. Quam sententiam probat autoritate & rationibus.

Arist. 3. hist. 3. 2. part. 9. 3. part. 4. 1. gen. 4. de som. & vig. 3. 4. 6. lib. Ref. 1. & 2. c. Ves. l. 3. c. 6.

107. Plato in Timæo scribit, cor omnium venarum & sanguinis illius, qui per uniuersum corpus defertur, esse fontem. Eadem est sententia Hippocratis, qui multis in locis scriptum reliquit, cor esse venarum originem. Lib. de loc. in homine ait: vena caua à corde diaphragma permeans ad epar transmittitur. Alio in loco ait: Dua sunt venae cauae à corde, vna dicitur arteria, altera caua, quae cordi cohaeret: & eodem, cor ad caput venae cauae situm est.

Hipp. 1. de princip. lib. de sect. corp.

108. Rationes Aristotelis haec sunt praecipuae 1. Cor est fons caloris & sanguinis officina, qui per venas tanquam organa & canales ex corde ad partes nutriendas defertur & distribuitur. 2. Vena maiorem habent similitudinem cum corde quam cum epate. 3. Vena caua dextro cordis ventriculo tenacissime adheret, nec sine diuulsione ab eo liberari potest. 4. Ut reliqua tria cordis vasa nimirum Vena arterialis, arteria magna, & arteria Venalis, ita & vena caua ex corde emanat & originem ducit. 5. In cordis passionibus seu affectibus sanguis cum spiritibus non ad Epar sed ad cor confluit & defertur.

109. Galenus & Medici contra Aristotelem contendunt, non cor, sed Epar esse principium venarum: suamque sententiam itidem autoritate & rationibus comprobant & tuentur.

Gal. 6. placit. 3. 4. v. p. 12. 5. v. p. 2. form. foet. 6.

110. Hip-

110. Hippocrates expressè scribit: Venarum radicatio Epar est, arteriarum Cor. Et alibi Venam cauam ἡπατικήν hoc est, Iecorariam appellat.

Hip. lib. de alim. lib. form. foet. & 2. Epid.

III. Rationes principales hæc à Galeno & Medicis Aristoteli contra venarum ex corde originem opponuntur. Vt arboris radices in varias fibras dissectæ in unum coeunt caudicem, qui reliquorum omnium etiam tenuissimorum principium dicitur: sic venæ caue radices per corpus Epatis variè diffuse, in gibbo epatis in unum desinunt truncum, qui in duos statim diuiditur insignes ramos, omniumque venarum origo existit. 2. Dexter ventriculus cordis pulmonum gratia factus est. Que igitur pulmone carent animalia, etiam hoc sinu carent, nec vena caua ex eo produci potest. 3. Si cor esset principium venarum, omnes venæ pulsarent. 4. In epate gignitur sanguis, & ex Epate egreditur non tantum vena portæ sed etiam vena caua, quæ ascendens ad cor in dextrum eius ventriculum insigitur. 5. Vena caua circa Epar amplior & maior est, quàm circa cor, ubi multò tenuior & minor apparet. 6. Vena portæ & umbilicalis ad cor non pertingunt, nec ullam cum eo habent communionem. Ex quibus & alijs, quæ nunc breuitatis causa omittimus, concluditur, epar esse originem venarum.

Gal. 6. plac. 3. 4. 5. 6. 4. v. p. 12. 5. v. p. 2. l. form. foet. 2. Pic. f. 232. Lau. f. 139. Col. 298. Fer. lib. 5. Fer. l. 5. Phys. c. 14.

112. At verò hoc grauissimorum autorum duellum commodè componi ac dissolui posse arbitramur, duplici partium constituto & assumpto principio nempe principio γενέσεως id est originis, & διανοήσεως id est dispensationis seu distributionis.

Gal. 1. for. foet. 4.

113. Principium originis vocatur, à quo tanquam materia oritur quippiam, seu quod substantiam vel materiam parti enata suppeditat: quo modo neque cor, neque epar venarum principium dici potest, quoniam alia est substantia cordis & iecoris, alia venarum, adde, quod venæ prius generantur quàm caro Epatis.

Hipp. l. de carn. Gal. 1. fem. 13. Pic. f. 138. Gal. for. foet. 2. 3. 4.

114. Principium dispensationis seu officij est, à quo aut communis

D

materia



materia aut facultas manat seu quod vim & actionem parti commu-
nicat. Hac ratione Epar principium venarum statuitur quia vena non
tantum communem materiam sanguinem scilicet, qui est commune
omnium partium alimentum in vniuersi corporis partes deuehunt ex
epate, & distribuunt; sed etiam virtutem & actionem ab eo susci-
piunt.

Arist 2. part. 6. Gal 2. v. p. 19.

115. Est & aliud principium eⁱ ζωοτος seu radicationis, in quo va-
sorum radices apparent, & maximæ eorum sunt diuisiones. Sic per E-
patis substantiam omnium venarum, caue, porta & umbilicalis radi-
ces sparguntur, nec non maximæ eo loco obseruantur, & conspiciuntur
earundem diuisiones & amplissima sunt vena. Et hoc etiam modo
Epar principium venarum statuitur.

Gal. 4. v. p. 13.

116. Vtilitates venarum multe sunt. Nam sunt receptacula san-
guinis, quem tanquam in vase, ne diffluat, continent; eundemq^{ue}, ne
concreseat vi sua ac proprietate custodiunt; quemadmodum videmus
in cadaueribus sanguinem in venis fluidum adhuc conseruari, quam-
uis is à corruptione immunis non sit, quod tum calor insitus tum è corde
influens extrinectus sit.

Arist 3. hist. 2. 3 part. 5. de som. 4. Fern lib. 6. Phys. c. 7.

117. Sanguinem etiam cum spiritu & facultate naturali in omnes
corporis partes deferunt ac distribuunt. Vnde à Galeno organa distri-
butionis, & Epatis latores ab Auicenna appellantur.

Gal. art. Med 9. 1. v. p. 16. Gal. 4. v. p. 17. Vesl. 1. 13 c. 1.

118. Deniq^{ue} habent vim concoquendi sanguinem. Quare Galenus
eas instrumenta coquendi sanguinem appellat. Et alibi ait: venam
optimum generare sanguinem. Item alio in loco: venis, quæ ad ven-
triculum & vniuersa intestina pertinent, inest facultas quedam effe-
ctrix, quæ succum, qui ex cibis distribuitur, in sanguinem mu-
tare naturale est, priusquam is ad epar perueniat. Nec tamen interim
negamus, ad ^{αἱμαλωτήν} & parenchyma epatis requiri. Nam ab illo san-
guificatio primo & per se, à venis secundo perficitur.

Gal. 3. temp. 2. diff. morb. 7. 2. fac. nat. 9. 4. v. p. 12. 17. Vesl. 1. 3. c. 1. & 5. Pic. 1. 2. l. 14.
Fern 1. 6. Phys. c. 6 Gal. 14. v. p. 2.

VIII. DE

VIII. DE ARTERIIS.

119. *Arteria ἀρτηρία* Græcè dicta παρὰ τὸν ἀέρα καὶ πνεῦμα, quod aërem & spiritum contineat atq; custodiat, vel ἀρτηρία, ab ἀρτεῖν id est salire, quod perpetuo saliat seu moueatur. Hippocrati & Aristoteli ἀρτηρία dicitur, quasi ἀεὶ ὄρατα quod semper conspiciatur.

Hip. l. de car. Arist. 1. hist. 16. 3. part. 3.

120. *Est autem duplex arteriæ genus: nempe arteria aspera & leuis. Aspera que vocatur arteria, ab inequali, quâ constat, substantia, fistula est, que ex ore in pulmones descendit, ad eosq; aërem inspiratum defert. Arteria simpliciter dicta vel leuis, de qua hoc loco agimus, vas est, quod sanguinem & spiritum vitalem è sinistro cordis ventriculo defert & distribuit. Hanc Hippocrates aliquando nominat venam minorem, interdum venam calidioram, propter spiritum & sanguinem, quem continet, feruentem. Aristoteles aortam appellat. Galenus venas pulsatiles. Auerroes & Auicennas venas pulsantes & audaces. Tullius venas micantes nominat.*

Hip. l. de carne. Arist. 2. hist. 4. Gal. 2. comp. med. sec. loc. 1. Auer. 1. coll. 5. Auic. l. 1. fen. 1. lect. 5. sum. 4. c. 1.

121. *Est igitur arteria pars corporis similis a, alba b, crassa c, caua, rotunda, longa d, exanguis & frigida e, genita ex semine glutinoso frigido f, à facultate propria arterifica g, ad sanguinis, facultatis, & spiritus vitalis distributionem h.*

a Gal. 2. elem. 1. diff. 1. orb. 3. inæq. intemp. 2. b Gal. 2. temp. 3. c Gal. 6. v. p. 16. d 6. v. p. 16. 1. diff. pul. 3. e Gal. 1. temp. vlt. f Gal. 1. sem. 5. & 11. Hip. lib. de car. g Gal. 1. nat. fac. 6. h Gal. 8. plac. 8. Vesal. l. 3. c. 2. Fer. l. 1. c. 12.

122. *Affectiones arteriarum naturales sunt, ut sint alba, caua, rotunda, oblonga, exanguis, sensus expertes, pulsatiles: Quæ ex superioribus innotescunt.*

123. *Substantia arteriæ membranæ est, duplici constans tunica: interiori & exteriori. Illa dura ac densa est, & quintuplo aut sextuplo crassior tunica venarum, ne sanguis aut spiritus vitalis exhalet & dissipetur. Hæc tenuis, rara & mollis est, internæ exterius obducitur, illam firmat, vicinis partibus adnectit, eiq; sensum suppeditat.*

Gal. 8. v. p. 11 Gal. 2. loc. affec. lib. plen. 4. Inæq. intemp. 2. Vesal. l. 3. c. 2.

D 2

124. Tres



124. Tres in corpore sunt arterie, quarum autores faciunt mentionem, una est umbilicalis dextra & sinistra, per quam infans in utero spirat. Altera est arteria venalis. Tertia arteria magna dicta seu ἀορτή, ad quam reliquæ omnes, quæ in toto sunt corpore, tanquam ad principium reducuntur.

Ves. lib. 3. c. 2. Col. fol. 327.

125. Arteria magna è sinistro cordis sinu profiliens, in duos insignes finditur ramos maiorem & minorem, maior descendens dictus, in inferiores corporis partes, quæ plures sunt, distribuitur, minor ascendens vocatus, in superiores partes quæ minus multæ sunt, diffunditur.

Ves. l. 3. c. 12. Col. f. 331. Fer. l. phys. c. 12. Laur. f. 425.

126. Uterq; emittit arterias, quæ easdem cum venis habent appellationes, eandemq; ferè distributionis seriem & ductum, nisi quod arteriarum, quàm venarum minus frequens est propagatio; quod sanguis crassior in exiguas, proculq; remotas partes, non nisi venarum ductibus possit commeari: Spiritus autem sanguine multò tenuior, ab extremis arteriarum elapsus, per cæcas occultasq; partium vias in distantiora penetret, ac euadat, nullo arteriæ adminiculo indigens.

Gal. 16 v p. 12. Ves. l. 3. c. 2. 12. 13. 14. Fer. lib. 1. Phys. c. 12. Laur. f. 185. 425. 680. 688. Col. fol. 331.

127. Venis arteriæ propinquæ sunt, illisq; consociatæ, nisi cum ortus varietas eas coniungi non sinit. Arteria enim ex corde egrediens, & secundum spinam per aliquod spacium descendens, venam adiunctam nullam habet, ut & ea, ex quibus contextus mirabilis in capite formatur & constituitur. Sic & quæ in complures, easq; exiguas partes maximè sub cutem diffuse & deductæ sunt, comites nullas habent arterias, quod nulla earum erat necessitas.

Ves. l. 3. c. 15. Fer. l. 1. phys. c. 12.

128. Est præterea mutuo venarum & arteriarum ἀναστροφῆς. Nam per angustos quosdam ac insensiles meatus arteriæ, dum contrahuntur, ex venis sanguinem, ut nutriantur, hauriunt, venæ vicissim ex arterijs spiritum & calorem transsumunt. Hoc verò ita esse ex eo patet, quod multis amplisq; arterijs in iugulato animali præcisis & venæ & arteriæ euacuantur, quod non fieret, si venarum oscula in arterias non penetrarent.

Gal. 5.



Gal. 5. v. p. 2. 6. v. p. 17. 21. 7. ad. an. 5. 3. nat. f. 15. Fer. l. 6. phyl. 5.

129. *Principium primum arteriarum est ipsum semen, ex quo in utero conformantur, Alterum verò principium, ex quo oriri vel enasci dicuntur, cor est, non quidem quod ad principium originis, quia materiam ipsis non suppeditat, nec ulla inter cor & arterias est similitudo: sed ratione principij tum ἐπιζώσεως, quod in corde quasi radices agant, & maxime earum eo loco sint diuisiones: tum διοικήσεως id est dispensationis, quia spiritum & sanguinem vitalem suscipiunt & in vniuersum corpus distribuunt.*

Gal. 1. sem. 5. & 11. Hip. l. de carn. Hip. l. de corde Arist. 3. hist. 4. Gal. 1. v. p. 16. 6. v. p. 5. 16. v. p. 10. 1. plac. 7. dif. ven. & art. 9. Idem Vesalius, Columbus, Fernel. & alii confirmant.

130. *Finis arteriarum dupliciter consideratur quatenus sunt canales, & quatenus pulsant.*

Pic. f. 218.

131. *Quatenus canales sunt, triplicem usum præstant 1. sanguinem spirituosum, qui subtilis & calidus est, & cum spiritu vitali permixtus, suscipiunt, continent, & in omnes corporis partes deferunt ac distribuunt: deinde spiritum & calorem influentem deducunt, ut calor & spiritus innatus partium foueatur & custodiatur: tum facultatem vitalem vectore spiritu in omnes corporis partes transportant ac deuehant.*

Gal. 1. sem. 6. 8. plac. 8. 6. v. p. 16. Ves. l. 3. c. 2. Pic. f. 218.

132. *Sic & quatenus pulsant triplex est; earum usus. Nam sanguinem in venis quibus assistunt, exagitant & commouent, ne stagnantium aquarum more corrumpatur, & putrescat. Præterea eundem, cum crassior sit, attenuant, ut facilius è venarum osculis in partes nutriendas profluat, quò prompta & exquisita fiat nutritio. Deniq; calorem natium omnium partium conseruant, eum refrigerando & attemperando. Dum enim contrahuntur, vacuantur fuliginosa excrementa, quæ retentâ calorem suffocare valent, exprimendo & expellendo: dum verò dilatantur implentur, attrahunt aerem frigidum quo ventilatur & contemperatur.*

Gal. 1. de cau. Pul. 3. 4. 8. plac. 8. 2. loc. aff. vlt. 2. v. p. 9. 16. v. p. 12. Ves. l. 3. c. 2. Picol. f. 425.

IX. DE NERVIS.

133. *Nervus tripliciter accipitur, aliquando pro ligamento a, quod instar ligamenti sit corpus album, exanguis & expers concavitas: nonnunquam pro tendine b, quod tendines nervosa sint corpora, & nervis figura similes: interdum pro nervo proprie sic dicto c, quem Hipp. & Gal. νεῦρον ἢ τόνον à flectendo & tendendo appellant.*

a Gal. 1. de ofs. in procem. 1. plac. 8. 1. vp. 17. b 3 alim. 4. 1. v. p. 17. c Gal. 1. motu mus. r.

134. *Est autem nervus pars corporis similis a, alba b, rotunda, oblonga, exanguis c sensus particeps d, genita ex semine glutinoso frigido e, à facultate propria nervifica f, ut animalis facultas, sensitiva, & motiva, vectore spiritu per eum è cerebro in omnes corporis partes deferatur & transmittatur g.*

a Arist. 1. hist. 1. 2. part. 2. Gal. 1. elem. 8. 2. elem. 1. 8. plac. 4. diff. morb. 3. 12. v. p. 2. Auic. lib. 1. sen. 1. doct. 5. c. 1. b Gal. 1. sem. 5. c Gal. 2. nat. fac. 3. de atrabile 7. de sem. 5. d 1. mot. mus. 1. 7. ad. an. 8. e Hip. 1. carn. Gal. 1. sem. 8. f Gal. 1. nat. fac. 6. g Gal. dis. neru. 1. 7. plac. 5. v. p. 9. 7. v. p. 14. 16. v. p. 3.

135. *De materia seu principio nervorum ex quo, varia sunt autorum opiniones. Nam licet ut relique partes in prima conformatione ex semine procreantur, tamen alij alia principia & exortus ipsis assignarunt.*

Hip. 1. carn. Gal. 1. sem. 8.

136. *Erasistratus nervos ex dura cerebri membrana, quod membranea & dura illorum substantia esset, produci aliquando statuit, at tamen cum in senectute dissectionibus vacaret, nervosq; triplici substantia constare, media scilicet & externis duabus, sed mediam & intimam, quæ medullosa est, ex cerebri substantia produci, eiq; similem esse, externarum alteram, interiorum nimirum ex tenui membrana, alteram verò nempe exterio rem ex dura & crassa oriri cognosceret, rei eidentia, convictus, Medicorum sententiam amplexus est, veramq; nervorum originem agnovit.*

Gal. 7. plac. 3. & 8.

137. *Aristoteles nervos è corde oriri & nasci scribit, cum quod in corde sit copia nervorum, tum quod cor sit principium motus & sensus.*

Aristoteles 3. hist. 5. 3. part. 4.

138. Pri-



138. *Primum negamus. Nam nulla in corde est neruorum copia, sed vnus tantum exilis neruus, à sexti paris neruorum cerebri sinistro ramo productus, in substantiam cordis sensus gratia implantatur. Quin fibrae membranæ dense valde & compactæ, quæ in cordis ventriculis conspiciuntur, & roboris gratia in continuo cordis motu sunt factæ, nerui non sunt, vt Aristoteli placuit, quandoquidem è cordis ventriculis non egrediuntur, nec in alias partes distribuuntur. Accedit, quod nerui cum corde nullam habent cognationem. Huius enim substantia carnea est & rubea: illorum alba medullaris & membranæ. Et licet illæ fibrae essent nerui, non tamen sequitur cor esse principium neruorum. Ea enim ratione, & manus & pedes, in quibus plures quàm in corde sunt nerui, principia statuerentur.*

1. plac. 8. Vef. 4. c. 1. Laur. f. 559.

139. *Neg, alterum probat, cor esse principium neruorum. Nam cordis motus non est voluntarius sed naturalis, cuius potestas in nobis sita non est, neg, nostro arbitrio perficitur. Neg, ob motum concluditur, motus instrumenta à corde originem trahere.*

Gal. 1 plac. 10. Fer. 1. 1. phys. Laur. f. 562.

140. *Galenus & Medici affirmant, cerebrum & spinalem medullam, quæ alterum quasi cerebrum est, principia esse neruorum. Quorum sententia admitti potest, partim ratione principij originis, quatenus nerui eandem cum cerebro & spinali medulla habent substantiam, partim causa principij dispensationis, quatenus è cerebro vis sensitua & motua per neruos profluit & defertur.*

Gal. diss. neru. 1. 7. plac. 8. 1. plac. 9. 1. mot. musc. 1. 6. v. p. 2. & 3. 7. v. p. 14. form. fact. 4. Fern. 5. phys. 14. Col. 1. 8. c. 3. Vef. 4. c. 1. Laur. f. 561.

141. *Numerus neruorum ex paribus seu coniugationibus estimatur. Paria autem neruorum sunt triginta septem. E cerebro egrediuntur septem: è spinali medulla promanant triginta. Vnde Galenus sexaginta neruus è spinali medulla prodire scribit. Inferuntur in partes capitis, thoracis, infimi ventris, in manus & pedes.*

Gal. diss. ner. 10. 1. plac. 9. 7. plac. 8. Laur. f. 539.

142. *Sunt autem duplices nerui alij duri, alij molles. Qui duriores sunt, & in organa motus, musculos nimirum, immittuntur, motorij*
vel

vel motores appellantur. Qui verò sunt molliores, & in instrumenta sensuum & tactus, membranas scilicet inseruntur, sensorij vocantur, qui sunt vel visorij, vel auditorij, vel gustatorij vel tactiles.

Gal. 1. plac. 9. 7. plac. 5. Inst. odor. 2. 7. v. p. 4. 8. v. p. 5. 9. v. p. 1. 16. v. p. 2. Ves. 4. c. 1. Laur. f. 570.

143. *Finis seu usus neruorum ex dictis patet. Nam per neruos tanquam ductus & canales vis sentiendi & mouendi cum spiritu è cerebro in partes corporis subiectas, quæ sentire, ac moueri debent, deferuntur & diffunditur. Cuius rei signum est, quod per nerui obstructionem aut compressionem, aut ligaturam sensus impeditur & auferitur, quoniam spiritus ad partes inferiores penetrare, & progredi non potest. Obstructione verò soluta, aut vinculo ablato sensus redit, quod spiritus liber transitus concessus sit.*

Ves. 1. 2. c. 2. Gal. 7. ad an. 8. 7. plac. 5. 16. v. p. 3. Laur. f. 566.

144. *Per neruos etiam vicissim species seu imagines rerum oblatarum perferuntur ad cerebrum adeoq; sensum communem, qui de illis, an grata & acceptanda, an ingrata & fugienda sint, iudicat.*

IX. DE FIBRIS.

145. *Huc usq; de partibus similaribus spermaticis dictum est, quibus pauca subiungenda de fibris, tum quod, in superioribus illarum facta sit mentio, tum quod plurime partes ex illis constituta dicantur, & quod à quibusdam inter partes similes referantur.*

Arist. 3. hist. 2. Gal. 1. elem. 8. 10. m. m. vlt.

146. *Fibrae autem ab Hippocrate Galeno Aristotele & alijs iues Græcè dicuntur. Latini villos stamina & filamenta appellant. Sunt telis araneorum similes, & gignuntur in utero à facultate fibrifica ex semine, quod natura distendit, & in filamenta deducit, quæ sunt futurarum partium stamina, & fundamenta, quibus postea sanguis maternus affunditur, qui vacua spacia inter fibras media explet.*

Gal. 1. sem. 10. m. m. vlt. Ves. 1. 3. c. 1.

147. *Pro triplici situs specie tres earum constituuntur differentia. Quæ situm secundum longitudinem partis obtinent, rectæ vocantur: quæ secundum latitudinem collocatæ sunt, transuersæ vel circulares dicun-*

dicuntur, & rectas ad angulos rectos intersecant, ut in tela subte-
gmen stamina ipsa. Quae nec secundum longum nec latum posita vi-
dentur, obliquae nominantur & partes, in quibus sunt, ad angulos ine-
quales unum acutum, alterum obtusum secant.

Gal. 3. fac. nat. Ves. l. 3. c. 1.

148. *Vsus fibrarum est, ut custodiant carnem tam muscutorum
quam viscerum, quae singula suas habent fibras, quibus tanquam cir-
culus partes circumdantur, coherent, & consistunt. Conferunt quoque
ad motum cum voluntarium in musculis, ut membrum in hanc vel il-
lam partem moveatur, cum naturalem in visceribus, causa attractio-
nis, retentionis, & expulsionis. Rectae enim fibrae si imminuantur, at-
trahunt, transversae corrugatae expellunt, obliquae, si omnes agant,
retinent.*

Gal. 1. fract. 12. 1. nat. fac. 7. 2. ad an. 5. 4. v. p. 11. 14. v. p. Ves. l. 3. c. 1.

149. *Præter has fibras, quae continentales dicuntur, sunt & aliae in
sanguine contentae, unde & sanguineae vocantur, quae causa sunt con-
cretionis sanguinis extra venas elapsi. Sunt enim terrena frigida, &
glutinosa. Ideoque ob frigiditatem sanguis coit & exsiccatur.*

Arist. 3. hist. 6. 2. part. 4. Gal. quod animi mores &c. 7. Arist. 4. Met. 3.

X. DE CARNE.

150. *Haecenus de partibus similaribus spermaticis durioribus &
mollioribus, quae totius corporis, sunt fundamenta, munimenta, vasa,
ac tegumenta dictum sit: sequuntur partes similes sanguineae voca-
tae, nec non ea, quae ex sanguine gignuntur, & inter partes corporis re-
ferri solent. Huiusmodi sunt, caro, adeps, medulla.*

Arist. 1. hist. 1. 2. part. 2. Gal. 1. sem. 15.

151. *Ceterum caro, quae simplex sit, & per se sola subsistat, in cor-
pore non inuenitur (quamvis Fallopius asserat eam, quae in vulneri-
bus succrescit esse simplicem carnem) sed solidioribus fibris spermati-
cis adnata atque circumfusa, molem constituit, quae caro vocatur, & in
musculis visitur atque musculi pars est.*

Gal. 2. tem. 3. 2. v. p. 16. 2. temp. 7. 2. simpl. 1. Fern. 1. 1. phys. c. 14. Cap. iu. f. 428.

152. *Est autem caro pars corporis similis, rubra, mollis, calida
E & hu-*

& humida, genita ex sanguine à vi propria carnifica, varij usus gratia.

Arist. 2. par. 2. Arist. 2. gen. 4. Gal. 3. m. 3. simp. m. 2. 1. nat. f. 6. cap. 430.

153. Carnis differentia tres sunt, una musculorum, altera glandularum, tertia viscerum.

Gal. 2. temp. 7. Fern. 1. phys. 14.

154. Caro musculoſa, quæ propriè caro dicitur, & cuius maxima in animali est copia, nihil aliud est, quàm sanguis, qui circa solidas fibras concreſcens & vacuum id, quod inter illas est medium explens & infarciens, corpus musculi constituit, fibrisq; robur addit & continet ne per motus periclitentur. Sed de hac siue musculis alibi.

155. Hæc caro non solum fibris musculorum robur addit, ut ossa prægrandia in quæ illorum tendines inseruntur, moveri queant: verum etiam partes duriores tanquam pulvis aut tunica lana intexta muniat & tuetur, dum frangentibus & contudentibus corporibus molliter cedendo resistit. Quin & suo calore fouet, & auget calorem partium natiuum, ossiumq; & aliarum partium frigiditatem contemperat. Sua verò humiditate membra humectat, ut ad motum sint aptiora, squallentesq; corporis æstus mitigat.

156. Glandulosa caro una eademq; non est sed pro usus necessitate & varietate vel densa & dura, vel rara & mollis existit. Vnde & ipsa glandula, quarum ingens est numerus, aliæ sunt duriores aliæ molliores.

Hip. 1. de glan. Fer. 1. 1. phys. c. 14.

157. Duriores diuisiones & ductus venarum atq; arteriarum suffulciunt, illisq; pro firmamento subiiciuntur, ut $\alpha\omega\upsilon\alpha\epsilon\iota\omicron\upsilon$ in cerebro; $\theta\upsilon\upsilon$ in summo pectoris seu iugulo; $\pi\alpha\iota\chi\epsilon\alpha\varsigma$ in infimo ventre & quæ sunt in mesenterio, quibus certæ appellationes non sunt attributa.

Gal. 16. v. p. 2. Ves. 1. 3. c. 4. Col. f. 392. Laur. 212.

158. Quæ molliores & variores sunt, vel partes vicinas, quibus assistunt, humectant, ut $\pi\alpha\epsilon\iota\delta\mu$ seu tonsilla in faucibus & œsophago: vel instar spongiæ superfluitates principum partium recipiunt & absorbent, ut sunt post aures parotides, quæ emunctoria cerebri vocantur

cantur, & que sub axillis & inguinibus posita sunt. Ex quibus illa emunctoria cordis, hæc emunctoria epatis vulgo nominantur.

Ves. l. 3. c. 4. Col. f. 393. Laur. f. 212. 649.

159. Caro viscerum, quæ παρέγχυμα id est affusio dicitur, pro cuiusque visceris conditione usu & necessitate varia ac multiplex est comparata secundum duritiem & mollitiem, magnitudinem, situm, figuram, numerum, connexum. Hinc alia est substantia cordis, alia ventriculi, alia epatis, alia lienis, alia renum, alia vesicae, alia uteri. &c.

Gal. 10. m. vlt. 2. temp. 7. Fer. l. 1. phy. c. 14.

DE PINGVEDINE.

160. Ad carnis naturam, proximè accedit πικρὸν h. e. pinguedo, & σίαψ h. e. adeps seu seuum. Quæ vocabula etsi sæpius inter se confunduntur, & alterum pro altero accipitur, tamen inter se differunt. Nam seuum crassius & magis terrenum est atque siccus; pinguedo humidior, liquidior & magis aërea.

Gal. 3. alim. fac. c. 11. Arist. par. 9. Ves. l. 2. c. 5. Fern. l. 1. phy. 1. 15.

161. Est autem pinguedo vel adeps pars in corpore pinguis, alba, genita ex sanguine, vi propria pinguis seu adipifica usus gratia.

Gal. art. med. c. 9. Inæq. temp. 2. diff. morb. 8. 1. nat. fac. 6.

162. Gignitur pinguedo ex sanguinis portione puriori, pingui, oleosa aërea, extra venas exudante & membranis adherente, quarum frigiditate & densitate coit & concrevit.

Gal. 2. temp. Arist. 4. part. 4. Ves. l. 2. c. 2. Fer. l. 1. phys. c. 12.

163. Magna eius copia gignitur in corporibus frigidioribus & ociosis, ut in feminis: minor & parcius in calidioribus, & quibus æstu nimio, laboribus immodicis in halitum digeritur & consumitur. Sic qui venas obtinent angustiores, pinguiiores sunt illis, qui ampliores possident. Illi enim frigidi, hi calidi censentur.

Gal. 6. ad an. 10. 2. temp. 9. Ves. l. 2. c. 5. Fer. l. 1. phys. 15.

164. Inuenitur & colligitur tam in partibus corporis externis, nimirum inter cutem & membranam carnosam; quam internis, ut in capite circa oculos: in thorace circa cor & membranas intersepientes.

In ventre in cavo ventriculi & intestinorum, in omento & mesenterio, circa renes & vesicam, deniq; inter spacia musculorum quibusdam in locis.

Ves. l. 2. c. 5. Fer. l. 1. phys. c. 15. Ves. l. 2. c. 2.

DE MEDVLLA.

165. *Medulla, que magnam cum pinguedine habet similitudinem, est sanguinei alimenti excrementum concoctum quod in ossa distribuitur.*

Arist. 2. part 6 Gal. simp. med. c. 2.

166. *Producitur à facultate medullifica ex sanguine, qui per venas in ossium cavitates penetrantes distillat & reponitur, ubi sensim multoq; tempore magis excoctus album contrahit colorem atque concrevit.*

Fer. l. 1. Phys. c. 15.

167. *Vsus eius est, ut sit ossium alimentum. Nam Hipp. scribit, quoniam ossa medulla nutriuntur ideo callo obducuntur. Et Galenus ait: qualis est carnibus sanguis, talis est ossibus medulla.*

168. *Atq; hæc de partibus similaribus spermaticis & sanguineis dicta nunc sufficiant, plura petantur ex libris autorum, quorum in superioribus facta est mentio, & ex quorum monumentis pleraq; desumpta esse non dissimulamus.*

Errata

Thesi 5. lin. 2. lege sicca. thesi 11. lin. 2. & seqq. post numeros dele puncta. In fine adde, sex coxarum, duo ilium, duo pubis, duo coxendicis. Thesi 12. lin. 4. & seqq. dele puncta. In eadem linea 4. adde, octo carpi, quinq; metacarpi. Thesi 21. lin. 3. l. emissurum. Thesi 23. lin. 3. lege fit. Tb. 24. lin. 4. ἡρα φειδῆς. Tb. 28. lin. 1. Σύνταξις, vel. Tb. 34. l. 4. fiunt. Tb. 35. lin. 4. σὺν ἰσχυρισμοῖς. Tb. 42. lin. ult. adde vsibus. Tb. 45. l. ult. habent. Tb. 48. l. ult. externisq; Tb. 106. l. 3. ex eoq;.

CL^{mo}



CL^{mo} VIRO D. IOH. SIGFRIDO
MARGSVL: ANATOMICO ET BO-
tanico Collegæ & amico colendo
edenti Theseis Anato-
micas.



V I medico primus humana cadauera cultro
Solvit inaspectas contuitus latebras:
Ille Machaoniae permultum profuit arti,
Sanandi facilem proposuitq; viam.
Dissecuere boues alij porcosq; figuram
Corporis vt scirent effigiemq; sui:
Rectius hic oculis lustravit singula: Venas,
Ossa, cutem, nervos, viscera & articulos.
Nil tamen hic monstri: monstro ille simillimus, excors
Qui medicis isthæc vix bene digna putat.
An non Principibus? an non & Regibus olim
Pars ea doctrine credita summa fuit?
Tu stadio decurre tuo, SIGFRIDE, manuq;
Artifici monstra quod vigil ore doces.
Inuenies famam, & doctis celebrabere scriptis
Fors neq; Vesalio Fallopioq; minor.

Henricus Meibomius, Poëta Cæsarius, Iuliæ
acad. Professor & pro tempore
ViceRector f.

E 3

EIDEM.

EIDEM



E I D E M.



NOSSE DEVM prima est sapientia; nôsse
seipsum

Proxima; mortales tertia nôsse alios.

Nôsse alios prima est via, proxima nôsse seipsum

Meta quibus petitur vltima: NOSSE
DEVM.

Vsq; alios scrutere, opus est, dùm te quoq; nôris,
Mox alios, post te noueris ipse DEVM.

Hoc agit, hoc Natura iubet. hic optimus ordo:
Singula rimatus deniq;. vt OMNE scias.

Quæ fecat humanos damnati corporis artus
Officina, isthæc singula & OMNE docet.

Qui te nôsse DEVM, si te non noueris ipsum
Ex alijs, tua te somnia nôsse, putas.

E cane vel porco, qui sis, num quæris? an ipsi
Ridiculo te fers simiolo similem?

Discis homo ex hominis, tua quæ sit, corpore, forma,
Quæ tibi materies, quæ tua temperies.

Cernitur hoc opifex opere, & sapientia summa
Mirari ac sapere hac te magis arte docet.

Huc agedùm, ac tandem, quod nescis, garrule, disce.
Hinc alios; hinc te; hinc noscere disce DEVM,

Aut agè, quas mordes operas, dùm, garrule, nescis,
Non alios; non te; haud nôsse, fatere, DEVM.

*Gaspar Arnoldi Philos. & Med. D.
& P. professor.*

EIDEM.





E I D E M.

SE noscere ipsum oraculi quondam indigos
Docuere Delphici fores Apollinis.
Hæc incolarum fertilis Calabriae
Quinquennij rumpentium silentia:
Hæc & Sophorum princeps cura dicitur

Fuisse, quos fauente domino protulit
Dias in oras luminis, solum Helladis.
Nam quid supina fronte, corpus astricum,
Oculisque fixis, usq; terram contui,
Physeosq; perscrutarier mysteria
Intentus instat ipse ignotus sibi?
SIGFRIDE recte sentientium glomo,
Te (sic enim dudum merere) adiungimus
Quem per tot annos æmulum Vesalij
Clarissimi ad magni orbis usq; limites,
Compaze corporum soluta, Iuliae
Monstrare publi triplicis discrimina
Ventris videmus, atq; viscerum situm,
Iræ ac amoris ipsiusq; spiritus
Sedem, nefas putando quidquam omittere.
Hinc mille causas pestilentum febrium
Cheirone & ipso rectius Machaone
Doces Iuventam: Hinc quæ medela morbidos

Sana.

*Sanare possit, ac priori reddere
Vitæ, laboras sciscitanti ostendere:
Dum mille florum, mille radicum eruis
Species, nisi hoc hyems vetet, radicitus,
Latentiumq; virium vsum plenius
Præstante Dodonæo, & illo, qui Iouis
Nomen gerens meretur filius Iouis
Dici, explicare cernimus discipulis.
Sic perge fama te superstes vltimas
Metuente solui penna aget per Indias.*

Cornelius Martinus Anduuerpius Pro-
fessor Logices in incluta Iulij.

F I N I S.







ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77







Disputationum Anatomicarum 1596; 15

TERTIA

DE PARTIBVS
HVMANI CORPORIS

25

SIMILARIBVS, SPERMA-
ticis & sanguineis:

*Ex sententiâ
Optimorum Philosophorum, Anatomicorum
& Medicorum,*

Ad quam
Diuina fauente clementiâ

Præfide
IOHANNE SIGFRIDO PHILOS. ET
Medicinæ Doctore & in illustri Iuliâ Pro-
fessore public. ordin.

*Respondebit publicè
die 19. Nouembr.*

M. ADAMVS LVCHTENIVS Huxariensis,
Medicinæ Studiosus.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.

84

